

tractos et haustos (ex quo intellegitur esse extra di-  
vinum animum humanus unde ducatur), humani autem  
animi eam partem, quae sensum quae motum quae  
adpetitum habeat, non esse ab actione corporis sei-  
5 gatam; quae autem pars animi rationis atque intelle-  
gentiae sit particeps, eam tum maxime vigere, cum  
plurimum absit a corpore. itaque expositis exemplis 71  
verarum vaticinationum et somniorum Cratippus solet  
rationem concludere hoc modo: 'si sine oculis non  
10 potest extare officium et munus oculorum, possunt  
autem aliquando oculi non fungi suo munere, qui vel  
semel ita est usus oculis ut vera cerneret, is habet  
sensum oculorum vera cernentium. item igitur si sine  
divinatione non potest [et] officium et munus divi-  
15 nationis extare, potest autem quis cum divinationem  
habeat errare aliquando nec vera cernere, satis est  
ad confirmandam divinationem semel aliquid esse ita  
divinatum ut nihil fortuito cecidisse videatur. sunt  
autem eius generis innumerabilia; esse igitur divi-  
20 nationem confitendum est.'

Quae vero aut coniectura explicantur aut eventis 33  
animadversa ac notata sunt, ea genera divinandi, ut 72  
supra dixi, non naturalia sed artificiosa dicuntur; in  
quo haruspices augures coniectoresque numerantur.  
25 haec inprobantur a Peripateticis, a Stoicis defendun-  
tur. quorum alia sunt posita in monumentis et disci-  
plina, quod [et] Etruscorum declarant et haruspicini  
et fulgurales et rituales libri, vestri etiam augurales,  
alia autem subito ex tempore coniectura explicantur,